


cessantis, pressione & relaxatione dependeat, simili planè modo ei, quem superiùs Tentam. IV. num. XI. & seqq. in similibus experimentis jam vidimus.



V. Est ergo motus bullæ vitreæ in experimento Stutgardiano quodammodo magis spontaneus quàm in Florentino & Romano; siquidem in hoc descendere cogitur bulla Phæn. IV. B à pollice aquam desuper premente, quicquid sit de ascensu qui, remoto illo ac cessante, ultrò quasi subsequitur, in illo verò (prout quidem à Schotto describitur) nunc aquâ gelidâ forinsecus circumfundendâ, nunc calidâ manu vel aquâ aut igne ipso admotis opus est, ut ibi ascensus, hîc descensus procuretur: dum in Stutgardiano tam ascensus quàm descensus nemine hominum præsentè, sine omni externæ operæ concursu, per vices se consequantur, sub dio scilicet & in aprico collocato vasculo; ut haut injuriâ *Barometri* (aut æquè congruè fortasse *Thermometri*) sponte ludentis naturam exprimere dica-